

B O T R V S
CYPRI COELESTIS,
DE DIVINIORIBVS GRATIÆ DEI VINEIS,
Longè quàm Engaddicis felicioribus,
D E C E R P T V S:

E T

Illustrissimo ac Reuerendissimo Principi, ac Domino,

D. P E T R O
G E M B I C K I,
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiã
EPISCOPO CRACOVIENSI,
D V C I S E V E R I Æ,
CANCELLARIO Academia nostræ Amplissimo,
& Fauentissimo,
DOMINO AC MECOENATI CLEMENTISSIMO.

A

*M. IOACHIMO SPERONIO, Sacræ Theologiæ Professore,
Ecclesiæ Collegiæ S. Floriani Canonico, Parocho Profouienfi;
ad sacram Magistri Sententiarum prælectionem, cum
Diuino adiutorio accedente,*

OBLATVS AC PRÆSENTATVS.

Anno à Partu Virginis, Dei Parentis, 1652.
Mense *Janus* Die 70. Horã .15.

C R A C O V I Æ,
In Officina Typographica Lucae Kupisz S.R.M. Typographi.

IN ARMA
 DOMVS ILLVSTRISSIMÆ
 GEMBICIANÆ
 De Regno Amplissimo & Patria vniuersa
 MERITISSIMÆ.



FASCIA Præfuleis Patriæ redimita Tiaris
 Quàm grauibus factis Sarmatico orbe nites!
 Quid mirum? æthereis collustrans nexibus orbem
 Ambis, æthereis æmula facta choris.
 Fausta vige partis Patrio super axe trophæis
 Clarefcens meritis FASCIA adaucta pijs.

BOTRVS CYPRI COELESTIS.



BOTRVM Cypri mysticum, gratia iustificantis, non ex vineis Engaddicis, amenitate, ac fertilitate commendatissimis, decerptum; sed ex vinea æterna DEI prouidentia, ac misericordia, per CHRISTVM Seruatorem, in vinea Sponsæ suæ Ecclesiæ, felicissime ad communem omnium salutem plantatum, ILLVSTRISS: CELSIT: VESTRÆ obsequentiissima animi ac voluntatis offero promptitudine PRINCEPS ILLVSTRISSIME. Ausim demisè precari, vt Donum hoc tam Diuinum, tantò sit ILLVSTRISS: CELSIT: VESTRÆ acceptius, quantò minus consuetum est, in medijs rigentis brumæ algoribus; cum rosarum flores, tum botros præsto haberi; quales tamen in ipsa nocte Natalitiorum Seruatoris nostri; vineas proferre fama est Engaddicas.

Multò verò felicius, tot botris gratiarum, tantarum virtutum, ac donorum racemis, tam peculiarium gratia sacramentalis effectuum, fructibus abundat, vinea Christi Ecclesia Catholica; vt sigillatim quodlibet istorum, viris quantavis dignitate ac virtutum splendore principibus, munus nimime indignum censeatur.

Tantò igitur libentius, non gemmas nitore fucum pretio imponentes; neq; ex triuialibus prophane doctrine plantarijs collectas rosas; sed racemum gratia supernaturalis peccatores iustificantis; imò ipsum tam Diuini Botri plantatorem, æternum æterni Patris VERBUM, humanâ carne ad hoc indutum, ac vestitum; vt vita, sanguis, spiritus, præsto adessent, quibus generi mortalium, morte crudeli exhauriendis, grauificari posset. Istæ profectò suprema est DEI Patris misericordiarum benignitas, vt nouissime loqueretur nobis in Filio, sibi in æternitate,

nitate, unā cum Spiritu Diuinissimo, naturæ diuinitate, ac perfectione, per omnia coequali. Hæc sunt vicina cognatarum solennitatum, ut D. Leo loquitur, Sacramenta, Nati mediatoris DEI, & hominum; ac manifestationis eius Regis, qui in præsepio iacebat (inquit D. Aurelius) & Magos ab oriente ducebat: quibus beato exultationis vigore, ac feruore fidei passim calefcente; cultu anniuersario Deo O. M. summā omnium submissione, atq; cum omni honoris, uenerationis, gloriæ confessione; habendis gratiarum actionibus, pro tantis beneficijs, tam copiosā redemptione, ac salute, totam se offert; ac impendit militans Ecclesia sanctissime. Communem hanc Sanctæ Matris complexus animo letitiam, unā etiam diem exoptatum illuxisse mihi gratulor, quo circa primum lecturæ Magistri Sententiarum ingressum, post adiutorium Diuinum implorato ILLUSTRIS: CELSIT: VESTRÆ iudicio, protectione, patrocinio, cultus ac debite uenerationis in Patronum Clementissimum, Cliens deditissimus; ac beneficiorum acceptorum cultor gratissimus: in Cancellarium ac Conseruatorem, Legum & Iurium Academiae, vnus e numero eiusdem Ciuium; in defensorum vniuersæ rei literariæ, ac immunitatum eius, ut Maiorum nostrorum memoriā, ita quoq; nostra, eundem semper ac integerrimum, Professor Academicus: animi affectum palam facerem contestatum. A multo namq; tempore, tot ac tantis ILLUSTRIS: CELSIT: VESTRÆ, gratiæ augustæ fauoribus, ac documentis, me obstrictissimum esse; frequentissime gratissima mecum recolo memoriā; quæ si pertinaci taciturnitate dissimularem, non solum ingratitude, sed inhumane plane feritatis ægritudine, laborare merito iudicaret. Mitto ego, tot & tanta in me ab ILLUSTRIS: & REVERENDIS: CELSIT: VESTRA deriuata beneficia; prætereo Almæ Matri meæ Academiae Craconiensi. in eius necessitatibus toties data saluberrima consilia, atq; efficacissima exhibita præsidia. Illud dignum æternā memoriā factum, ac zelum vere Præsuleum, ad imitationem sacrosanctæ posteritatis commemoro. Cum enim ferè ante quadriennium, Prossouia, ubi Maiorum meorum voluntate ad professionem Academicam prouisus, Pa-

rochum

rochum indignum ago, sub tempus Comitiorum particularium, frequentissimo nobilitatis concursu, in vna domorum, Hereticorum immani furore ac seuitiā, Imaginem Virginis Beatissimæ MARIÆ, in facie sua sanctissima, enormi cicatricum feditate deformatam, ILLUSTRIS: CELSIT: VESTRA accepisset; graui primum sensu doloris, tandem zelo iusto, & sancto commoueri animo; atq; mox, mihi, imò Patribus nostræ Vniuersitatis seriò iniungere; ut intermissa studij sacri, ad quod iam destinatus eram inchoatione, Lublinum irem quantocius, atq; criminis atrocitatem publice in loco Iudicij sanctissimo exponerem, sufficientissimis ad hoc omni ex parte ILLUSTRIS: CELSIT: VESTRÆ instructus, & præmunitus cohortationibus, literis, ueretur, ac rerum caterarum præsidijs. Cum verò causa ibidem tunc minimè posset terminari; nec ILLUSTRIS: CELSIT: VESTRA à proposito destitit sacrosancto; meq; iteratò Petricouiam, ad similia Tribunalis Iudicia expedit, donec res tota, ex animi sententia conficeretur, ausuq; immanitatis Hæreseos improbæ, pœnā indulgentiæ utiq; locum inueniente, mulctaretur. Hunc Virgo Beatissima ILLUSTRIS: CELSIT: VESTRÆ, erga se amoris ac deuotionis affectum; hanc Pastoralis curæ pro gloria Dei, atq; sua vindicanda iniuria, exhaustam sollicitudinem, patrocinio perenni subleuabit; posteri imitabuntur, boni omnes unā mecum admirabuntur, prædicabunt. Nam Principem ut in Regno, ita in Clero Præsulem, quem Deus O. sacræ Tiaræ ac sublimitatis eminentiā, Cleri sui, & ouilis amplitudini, antestare voluit; vitæq; sanctitate, ac virtutum debito splendore præluere, fructu laudum suarum minimè carere oportere, in confesso est; monente aurei oris Antislite; eos qui Principum laudes eloquuntur; vel hoc vno, si nihil reliqui esset mercedis, satis consequi ornamentum quod Principem magni faciunt.

Rectè hoc & sanctè Doctor Sanctus adnotauit; nam virtutes publico bono prodesse nata, publicos exigunt laudatores, non solum ut memoria vigeat meritorum, ad honorem posterorum; sed etiam, ut exempla ad imitationem plurimorum conseruentur. Quis verò est in Regno, cui incompetæ sint laudes, ac præconia

B

Do-

Domus GEMBICIANÆ ILLUSTRISSIMÆ, propter splendorem virtutum in Patria maximarum; ac publicam lucem & fulgorem, tot functionum & magistratum, quā in Ecclesia Dei, quā in summa Regni totius luce susceptorum, gestorum, ac felicissime confectorum. Adnotat operose omnia orbis Sarmaticus inserturus victuris annalibus, sigillatim, summorum Domus ILLUSTRISSIMÆ virorum, ac utriusque dignitatis Senatorum, constantem in Reges ac Dominos, fidei, & obsequiorum præstantiam, usibus ac bono Patriæ, quoties opus est, suppeditata consilia, collata præsidia, amorem in totam Rempublicam & Regnum amplissimum, semper eundem, hoc est constantem, sincerum, magnanimum.

His gradibus virtutum rarissimarum; hac in Patria, pro bono Patriæ, rerum gestarum magnitudine, proventus olim iustissime, ad summum Archiepiscopalis Tiaræ Gnesnæ: honorem ILLUSTRISSIMVS LAURENTIVS GEMBICKI, ut confessione tunc omnium, merito Primatem primumque Principem ageret; qui primario virtutum Heroicarum splendore, in Ecclesia Dei eminentissimo candelabro, inque Patriæ uniuersæ luce clarissima, tantum inclaruisset. Porro ILLUSTRISS: CELSIT: VESTRÆ virtutes, vota, studia, obsequia, ac promerita in Ecclesiam, Reges, Patriam, ac Rempub: uniuersam; quanta, quam solida, prompta, fidelia semper eluxerint, dixerim quam breuissime; cum omni animi sanctitate, ac pietate, cum oris ac vultus, dignissima Antislite Maiestate, ex animo ILLUSTRISSIMI olim PATRVI Archiepiscopi Gnesnæ: in animum ILLUSTRISSIMI PETRI GEMBICKI Episcopi Cracouien: felicissime aut commigrauisse uniuersa, aut multo adaucta magnificentius; splendidiissime magis ac magis in dies elucescere. Versantur in luce ac oculis totius Regni, publice ab ILLUSTRISS: CELSIT: VESTRA pro bono publico, tot munera suscepta, tot magistratus gesti, & summa cum laude absoluti. Præludium erat sublimiorum, sede Episcopatus Cracouien: vacante, quem nunc ILLUSTRISS: CELSIT: VESTRA, diuinā benignitate felicissime obtinet, accurata, diligens, exacte confecta gemina Administratio; quam

minimè

minimè segni tramite, vis animi præstans, otio marcescere nescia, auspiciato est progressu consecuta. Regiæ itaque Maiestati, Regiorumque obsequiorum usibus, ac Patriæ, functionibus iam bene antea commendata, ac perspecta virtus, grauitas, rerum gerendarum circumspecta semper prudentia, ac dexteritas, in conspectum bono publico prodijt exoptatum. Rite felices non nemo vocauerit; quos aula Principum illustriores quam acceperant, reddidere. Hoc assertum in ILLUSTRISS: CELSIT: VESTRA documentum, in summa Reipub: Magistratus, Vice-Cancellarij Regni, breui post Supremi Cancellarij, & Episcopatus Præmysliensis dignitate; cepit clarissimum unā cum fructu Patriæ, ac Reipub: amplissimo. Ibi demum publice constitit, ILLUSTRISS: CELSIT: VESTRAM parem attulisse animum, tantæ moli negotiorum publicorum, tantæ magnitudini rerum gerendarum, quanta utrumque illum Togatæ dignitatis munus in Regia supremum consequitur. Verum hæc annalium loquetur memoria uberrime.

Adnotabat alto summoque animi sui iudicio, in Trino illo tantæ amplitudinis Magistratu, ab ILLUSTRISS: CELSIT: VESTRA in exhaustas curas, labores, sollicitudines, cogitationes pro Reipub: grauissimas Serenissimus atque Inuictissimus Rex olim VLADISLAVS IV. Dominus ac Conseruator Academiae nostræ Clementissimus; iamque tot virtutibus ac meritis, ILLUSTRISS: CELSIT: VESTRÆ præmia concessis ampliora, animi tacita voluntate designabat. Nec mora, datâ facultate, Rex ille maximus, votis bonorum omnium, communi consensu voluntatem Regiam prosequentibus; ILLUSTRISS: CELSIT: VESTRAM Episcopum Cracouien: nominauit. Eminentiæ ac dignitatis Præsuleæ; feliciter iam per decennium continuatæ, simulque Senatoriæ dignitatis amplitudinem; nouis quasi de integro, summisque sanctarum virtutum auges progressionibus, promoues actuum Heroicorum accessionibus, illustras & conseruas maximis in Ecclesiam, ac Patriam uniuersam, quâ pacis, quâ belli temporibus præsidijs, impensis, ac sumptibus, pro bono & salute Patriæ, identidem magnifice faciendis, ac sustinendis. Nimirum sapienter ac sacrosanctè ILLUSTRISS:

B 2

CEL-

CELSIT: VESTRA existimat, tam sublimis in Ecclesia Dei dignitatis, qualem constat esse Episcopalem, multo alijs grauioribus, ac sanctioribus addictam esse curis, cogitationibus actionibus; cultus Diuini perpetuo promouendi, pietatis amplius propagandæ, immunitatis Ecclesiasticæ ab aduersis impetitionibus vindicandæ, incolumitatis Patriæ ac salutis conseruandæ, omnium eorum, qui verum requirunt patrociniū, opemq; implorant rationibus iuuandis, ac promouendis; omni deniq; afflictorum, ac indigentium necessitati, benignitate, consilio, misericordia prouidendi, protegendi. Hæc ab **ILLVSTRISS: CELSIT: VESTRA** diuersis tam boni communis, quam priuatorum exigentibus commodis; in primario isto Regni florentissimi Episcopatu gubernando, præfulgente; magnifice præstari ac sacrosanctè promoueri; nouit non solum Clerus, ac Diocesis vniuersa Cracouien. sed tota quoq; Patria, & Regnum Amplissimū. Incubuit annis proximis procella in Regnum, & Rempub. vniuersam; grauis, turbulenta, formidolosa, Cosacorum immani feritate, & laniena passim furentium, ac sanguinem ciuium liberorum impunè profuudentium. Ex communi consilio decretæ expeditio generalis, contra hostem propè domesticum, Serenissimus ac Inuictissimus **IOANNES CASIMIRVS REX** Poloniæ ac Sueciæ, Dominus noster Clementissimus; prior cunctis fermè in Castra perrexit, hostem aut deleturus, aut supplicanti misericordiam, quæ Regum est consueta clementia, elargiturus. At verò **ILLVSTRISS: CELSIT: VESTRA** præter certissima, quæ bellico vsui præsidia suppeditata, quæ domesticæ tranquillitati ac saluti conseruandæ, congregatas armatorum copias, publicis altis impendijs, piam animi voluntatem, ad Diuinam opem, & auxilium cæleste, demissè conuertit implorandum.

Sanè iste modus est pugnandi contra hostem, etiam ferocissimum, omnium efficacissimus; oratione eundem aut superare, aut in fugam vertere erubescendam. Sic orante olim super verticem collis Moyse, manusq; in cælum leuante, Israël Amalechitas superabat. Sic ad orationem Eliæ, ultor ignis de cælo erumpebat, & cohortes inimicas leonis instar deuorabat. Sic Serenissimo

simo ac Potentissimo Rege nostro **CASIMIRO**, tanquam altero Iosue, fortiter in acie contra hostem pro gloria Domini, pro salute Patriæ dimicante: ac **ILLVSTRISS: CELSIT: VESTRA**, in sua Episcopali residentia, & Sede, cum tota Clero, ac vniuerso populo, pro conseruatione Regni, sine intermissione Dominum deprecante, Diuinà factum est benignitate, ut quietem ac tranquillitatem exoptatam cuncti iam videamur consecuti. Mitto nunc deprehensas ab **ILLVSTRISS: CELSIT: VESTRA**, ad exitium Cracouia, imò Patriæ, clam instructas insidias, & ignem illum proditionis, iam non mediocriter inflammam erumpentem, Diuina quadam celeritate præuentum, ac in suis fauillis suffocatum. Præfati unculam enim texo obiter, non historiam scribo, ad memoriam posteritatis consultò transmittendam. Extremo loco **ILLVSTRISS: CELSIT: VESTR:** Sacerdos ac exorator indignus, Episcopo ac Patrono Clementissimo supplico, vnus è numero ciuium literatorum, Senatori, Protectori, Cancellario, atq; Conseruatori Academiae nostræ fauentissimo: vnà cum Parente nostra, rem vniuersam literariam, animo perquam demisso, exoptans esse, ut semper fuit, commendatissimam: quæ si vllis vnquam in Regno Amplissimo, certè post Dei gratiam & auxilium, **ILLVSTRISSIMÆ DOMVS GEMBICIANÆ**, se omni necessitatis tempore, fuisse auctam, defensam, sanctissimè recognoscit. Vine diuinitimè ac felicissimè **ILLVSTRISSIME PRINCEPS**, Domine noster Clementissime, hoc **ILLVSTRISS: CELSIT: VESTRÆ**, vnà cum Ecclesia Dei, Regno Amplissimo, Repub. florentissima Vniuersitas nostra, ea qua par est animorū submissione, ac studiorum voluntate obsequentissima apprecatur.

Illustrissimæ Celsitudinis Vestræ.

Cliens humillimus, & Exorator apud Deum
indignus

M. IOACHIMVS SPERONIVS, S. Theologiæ Sententiarius ad
S. Floriani Canonicus, Parochus Prossouienf.

C

Quia



Quia gratia est supra naturam humanam, non potest esse, quod sit substantia, aut forma substantialis ipsius animæ. Id enim quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima, participante diuinam bonitatem. & mox:

Quia anima, imperfectè participat, diuinam bonitatem, quæ est gratia, imperfectiori modo, habet esse in anima, quàm anima in seipsa subsistat. Est tamen nobilior, quàm natura animæ, in quantum est expressio, vel participatio diuinæ bonitatis.

D. Thomas 1. secundæ, quæst: 110. art: 2. ad secundum.

Non sic omne bonum quod agimus, attribuendum est gratiæ, vt meritum liberi arbitrij tollatur: qui error est Manichæorum. Nec sic merito hominis, vt gratia secludatur, in quo Pelagius errabat. Concedimus quidem totum esse ex gratia, sed non ex sola gratia: cum aliquid sit ex merito, sic tamen vt illud idem sit ex gratia. Omne enim bonum meritum, quod est ex libero arbitrio, est ex gratia: sed non quicquid est ex gratia, est etiam ex hominis merito.

Hugo de Sancto Victore. ad illa Verba Rom. 4.

Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.



QVÆSTIO THEOLOGICA DE GRATIA HABITVALI,

Ad mentem Magistri Sententiarum, ex Lib. 2. Dist.
26. & sequentibus deprompta.

An Gratia habitualis, quæ est formalis Diuinæ naturæ participatio: ac donum Supernaturale, intellectuall Naturæ, creatione superadditum: & ab alijs infusis habitibus, ac donis, distinctum realiter: rectitudinem Animæ viatoris iustificati tribuens, ad Actus meritorios: eidem per veram, realem, intrinsecam, informationem inhæreat, nec ne?

CONCLUSIO I.

Gratia Habitualis est formalis Diuinæ naturæ participatio.

COROLLARIA

I.

Concedenda est in creaturâ rationali formalis esse Diuini participatio, per quam, fini supernaturali, consequendo proportionatur, ad quem per illam disponitur.

II.

Gratia, non est Habitus proximè operatiuus, sed est forma, cuius infusione, Deo gratus & acceptus, imò Diuinæ naturæ particeps, homo efficitur.

III.

Gratia Habitualis, esto fit forma de genere Qualitatis, tamen modum essendi, & vigorem formæ Substantialis participat.

C 2

IV. Sola

IV.

Sola Gratia Habitualis infusio, ad Actus supernaturales eliciendos, sine speciali auxilio, praeuenientis, & adiuantis gratiae, minimè sufficit.

V.

Formalis participatio gratiae, consistit in conuenientia, ac similitudine eiusdem formae Analogica, inter participatum & participans.

VI.

Totam seriem, & ordinem Entium creatorum, esse gratiae, secundum rationem suae speciei, exuperat.

VII.

Animae Christi Domini, tam intensiue, quàm extensiue, quò ad omnes operationes, & effectus: summa omnium Gratiarum plenitudo competeat.

VIII.

Præter Gratiam unionis in Christo Domino, etiam Habitualis concedenda est: minimè tamen adoptiua filiatio.

IX.

Gratia Sacramentalis, supra effectum sanctificandi, addit effectus peculiare, qui singula Sacramenta consequuntur.

CONCLUSIO II.

Gratia Habitualis, est donum Supernaturale, creatione, intellectuali naturæ superadditum.

COROLLARIA

I.

Rationali naturæ, competunt perfectiones, non solum secundum naturam, sed etiam ex participatione Supernaturali Diuinæ bonitatis superaddita.

II.

Implicat, ad formas Supernaturales, dari passiuam aptitudinem in Anima, per modum appetitus insiti naturaliter.

III.

Licet detur capacitas Potentiæ obediētialis subiecti ad actionem supernaturalem, ob hoc tamen, non est dicenda, de Potentiā obediētiali, Formæ talis eductio.

IV. Quem-

IV.

Quemadmodum anima rationalis, quæ est Vita corporis, à solo Deo infunditur: ita gratia iustificans, quæ est, quasi vita sanctior animæ, ab eadem effectiue producitur.

V.

Gratia creari dicitur, prout secundum ipsam homines, in nouo esse, ex nihilo, id est non ex meritis, constituuntur.

VI.

Creatio habentium materiam in Qua, licet actionem Instrumenti dispositiuam admittit: minimè tamen talis actio, ipsam formæ substantiam potest attingere.

VII.

Sacramenta nouæ legis, continent & causant gratiam, ut sunt instrumenta disponentia ad ipsam recipiendam: Physicè eiusdem recreatiua.

VIII.

Quidquid est doni ac boni supernaturalis, totum est ex infusione creatione superadditâ: in meritis Passionis & sanguinis Christi fundatâ.

IX.

Licet Magister Sententiar: velit charitatem esse spiritus sancti formalem participationem: non negat tamen habitua-lem gratiam, creatam, nobis inherentem.

CONCLUSIO III.

Gratia habitualis, ab alijs infusis habitibus realiter distinguitur.

COROLLARIA

I.

Forma iustificans est simplex qualitas, à charitate, ut excludens ab excluso, distincta.

II.

Gratia Sanctificans, immediatè in essentia Anima recipitur: Virtutes quæ ab illa dimanant, in alijs potentijs.

D

III Gra-

III.
Gratia & charitas, sunt termini per se iustificationis, Fides & Spes, non item.

IV.
Gratia munus est, dare esse status Diuini: charitatis esse immediatum operandi principium.

V.
Solà infusione gratiæ, in Baptismo v. c. homines in filios Dei ad optimos regenerantur, ac verè iusti sunt, & amici Dei.

VI.
Quemadmodum habitualis gratia, est principium essendi creatum, operans radicaliter: ita charitas, & aliæ Virtutes, sunt dispositiones perfecti ad optimum, respectu eiusdem.

VII.
Vt bene fiat actio, debet esse proportionata naturæ, quæ intrinsicè per illam regulata, ad finem suum ordinatur.

VIII.
Si de absoluta potentia, maneret à charitate separata Gratia, ad huc homo verè iustus, & Deo gratus diceretur.

IX.
Licet Gratia & Charitas eadem actione ponuntur, tamen illa est principium totius Spiritualis edificij, ac terminus primarius, charitas verò secundarius.

CONCLUSIO IV.

Gratia sanctificans, rectitudinem Viatoris animæ, ad actus meritorios ipsam eleuando, tribuit.

COROLLARIA

I.
Actus Vitæ æternæ meritorios, sine auxilio gratiæ actualis, præsentis quoque Habituali gratia, hominem posse exercere est impossibile.

II.
Vt essentiam Deitatis impiè diuisit Arius, proteruè confudit Sanctissimæ Trinitatis Personas Sabellius, Vnam esse Dei & hominis naturam, falsò docuit Eutiches, diuisit impudenter

ter in Christo Personam Dei & hominis Nestorius, libertatem arbitrij negauit prodigiòse Lutherus: ita peruersè assecuta Pelagij, per vires naturæ, posse hominem gratiam promereri, & actus Vitæ æternæ meritorios operari, insliterunt persuadere.

III.
Nullæ dispositiones ac præparationes, conatus, motus, ac desideria, & quicquid ex vi naturæ dicitur esse in operando præuium, sine præuenientis gratiæ auxilio, potest esse meritorium.

IV.
Rectitudinis, quæ anima ita ut oportet se habet ad Deum, Gratia habitualis & causa est, & terminus ad Quem.

V.
Non remissio peccatorum, sed animæ rectitudo, pro ratione constitutiuæ iustificationis, est assignanda.

VI.
Donum ita se habendi ad Deum ut oportet, ante lapsum præstabat Originalis iustitia, post prolapsionem, idem præstat gratia.

VII.
Ad credendum rebus fidei ut oportet ad salutem, tum ad actus Vitæ æternæ fructuosè exercendos, simpliciter Gratia internæ inspirationis est necessaria.

VIII.
Ordo rectitudinis animæ, ad finem supernaturalem, est ab externamotione ad internam Vocationem; hinc ad fidem per dilectionem operantè, quæ est à iustificante Gratia, quæ ad æternam Dei Visionem, dono freta perseuerantiæ, attingit.

IX.
Peccato primi Parentis, nihil omnino integritati Naturæ humanæ ademptum fuisse, nec deprauationis quidquam illi adhasisse, erroneum est arbitrari.

CONCLUSIO V.

Gratia iustificans, per Veram & intrinsicam informationem, Viatoris animæ inhæret realiter.

C O R O L L A R I A

I.

Gratia sanctificans, pro immediato subiecto inhesionis, habet essentiam animæ, in qua Deus Opt. quasi in loco quodam quem sibi sanctificat, eumq; continet sanctitate, esse, dicitur.

II.

Formalis Effectus Gratia iustificantis, est sanctificatio Animæ, propter quam homo Deo gratus esse, iustus, sanctus, amicus Dei, ac æternæ adoptionis Filius, verè ac realiter nominatur.

III.

Falsò Pelagiani, prædicationem doctrinæ Fidei, solam remissionem peccatorum, Legem, dona quæcunq; naturalia, acceptationem Dei extrinsecam, loco gratiæ inherenti in anima, adstruebant.

IV.

Inhesio realis gratiæ in anima, per suos Effectus & actus potentiarum, sibi debitè subordinatos, ut sunt sanitas, conuersio ad Deum, actus meritorii, actualis perseuerantia, innotescunt euidentissime.

V.

Hereticorum deliramenta sunt, peccata infusione gratiæ non tolli, sed solum tegi, ne in cõspectu Dei appareant: atq; sic in iudicio finali, quo ad reatum culpæ non imputari.

VI.

Gratia est forma animæ hominis à Deo gratuito infusa, ut vera & permanens qualitas, non ut motio per modum transeuntis.

VII.


Per gratiam sanctificantem, animas iustorum Deus inhabitans, operatur in ipsis tam cognitionem quàm amorem supernaturalium.

VIII.

Non est figuratus loquendi modus, sed verus & proprius, in animas iustorum, infundi dona, & gratias Spiritus sancti, per quas eis datur, in ipsis permanendo.

IX.

An Deus hominem sibi gratum possit facere, sine gratiæ iustificantis infusione, ac sine aliquo reali naturæ superaddito: negantis partis opinioni censeo subscribendum.



Sub felicibus auspicijs.

Per illustris Admodum Reuerendi & Magnifici
Domini,

D. JACOBI GORSKI,
I. V. Doctoris & Professoris, Proto-
narij Apostolici, Eccles: Cathedralis
Crac: Canonici, & Collegiatæ SS.
Omnium Custodis, &c. &c.
Vniuersitatis Cracouens.
R E C T O R I S
Vigilantissimi.



LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO



Subscriptus scriptis

et in scriptis et in scriptis

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO